

per qualitatem speciei duplicis Nam relativum hoc erit, iuste et merito habuisse armatorum praesidia P. Sestium, ut Clodianos impetus ab illa dimicatione, quam facere coeperat, submoveret; illud vero ad con-
 5 pensationem refertur, pro bona causa et rei p. necessaria, etiamsi armatos habuerit, inpunitum esse debere, cum bene meritum de salute patriae civem restitui vellet omnium favente consensu. Hanc igitur eandem causam plurimi defenderunt, in quis fuit Q. Hortensius, M. Crassus,
 10 L. Licinius Calvus partibus inter se distributis, quas in agendo tuerentur. Itaque Tullius ea peroravit, quae sibi fuerant explicanda nec, ut plerique arbitrati sunt, extra causam vagatus est. Quamvis enim sciamus . . . multa Ciceronem vel iratum vel dolentem de passionibus suis
 15 ultra paene quam res posceret exaggerare solitum, tamen quod hic prolixa quadam turbulentissimi temporis descriptione multum voluminis occupat, non mediocriter videtur ad praesens negotium pertinere. Ostendendae sunt enim P. Clodii seditiosae turbulentaeque illius temporis
 20 actiones et iniuriae, quas ipse Cicero perpessus sit, et utilitates, quas in illius restitutione patria consecuta sit, ut recte ac necessario P. Sestius armatos habuisse videatur <ac> propterea sit maxime praesentis criminis invidia liberandus. Multa quidem in orationis cursu praeter-
 25 mittemus, quae propter similitudinem causae in commentario proxumae orationis ostendimus: ergo ne expectaveris, ut, sicubi inciderit, eadem rursus iteremus.

(*Desunt II paginae.*)

. . . . facere, quam separatim sibi depoposcerat ex- § 5.
 30 quendam. Quippe si responsioni criminum ab iis, qui